1— 6

DIPTYCHA
ECCLESIASTICA
ANAGLYPHO OPERE

EX EBORE SCVLPTA

CVM OBSERVATIONIBVS

I. B. PASSERI ET A. F. GORI



FLORENTIAE EX OFFICINA ALBIZINIANA

A. R. S. CIƆ.IƆ.CC.LVI.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. ANTONIO CASPARI MARIAE

E MARCHIONIBVS ALBERGOTTIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPO CHALCIDENSI

AMPLISSIMO

PONTIFICIS OPT. MAX. PRAELATO DOMESTICO

VTRIVSQVE SIGNATVRAE REFERENDARIO

ABBATI COMMENDATARIO

REGII MONASTERII S. ANDREAE IN SCOPHERNO ORDINIS CISTERCIENSIS

IN SAGIENSE DIOECESI

PATRICIO ARRETINO ET FLORENTINO &c. &c.

ANTONIVS FRANCISCVS GORIVS D. D.

COgitanti mihi, atque iamdudum animo revolventi, quo pacto multa cum dignitate teſtari publice poſſem, PRAESVL PRAECLARISSIME, quanti ſemper fecerim eximias, eaſque plurimas, animi tui virtutes, ac merita; nil profecto dignius, nil praeclarius, gloriofius nihil & auguſtius mihi ſuppetere poſſe intellexi, quam Tibi dedicare inſigniora quaedam Eccleſiarum eburnea monumenta, anaglypho opere, ſacriſque imaginibus ſculpta, meis lucubrationibus inluſtrata, quae nemo eſt qui non videat quam bene, iure etiam ac merito, nunc potiſſimum conveniant Tibi myſteriorum ac multiformis gratiae Dei Diſpenſatori, in ſancta Romanae Eccleſiae Hierarchia divino beneficio, munere plane ſanctiſſimo ac praeſtantiſſimo, in ſummo honoris & dignitatis faſtigio conſtituto: tum etiam quia pretioſa haec Hierothecia almificum SANCTAE CRVCIS LIGNVM, aeternae noſtrae redemptionis & ſalutis praeſidium, ac munimentum, quod & Tu ipſe tanquam tropaeum divinae pietatis & miſericordiae ante pectus geris, reconditum oſtendant, vel iam oſtenderint.

Periucundum etiam fore putavi, si id ipsum modo efficerem in tanta celebritate, & animorum suavissima iucunditate ac laetitia, qua paucis ab hinc diebus, solemni ritu, pompaque splendidissima consecratus es ARCHIEPISCOPVS CHALCIDENSIS: qua plenitudine Pontificalis Officii Te decoravit sapientissimus Christiani orbis Moderator, summusque Hierarcha BENEDICTVS XIV. Optimus Maximus, qui Te iamdudum sibi notum ac familiarem multis praeconiis in ipsa Christianae Religionis arce, throno ac domicilio ornavit; datisque ad Te humanissimis atque honorificentissimis litteris suis, paterna benignitate testatus est, quantopere Te tuamque spectatissimam pietatem, modestiam, ac probitatem diligeret: permisitque, ne quid detrimenti caperet gravis aetas tua, ut solemni consecratione ornareris ab Antistite Florentino, tum morum sanctitate, tum doctrina ornatissimo, FRANCISCO CAIETANO INCONTRIO, iisdem solemniis adsistentibus duobus Episcopis Praeclarissimis Faesulano, & Collensi: adcedente etiam Canonicorum Florentinorum, ac plurimorum Sacerdotum conventu. Natalis hic dies tuus celebratus est in hac urbe insigni in loco, nempe in Basilica antiquissima, S. PETRO Apostolorum Principi dedicata, circumstante toto Clero, mirifice etiam prae gaudio gestiente germana sorore tua Domna MARIA LVCRETIA ALBERGOTTIA, nobilissimi eius Monasterii paullo ante Abbatissa, quae propter singularem vigilantiam ac prudentiam suam ut iterum tanto honore fungeretur, digna habita est: ornata tota amplissima Ecclesia cum spatioso laqueari velis sericis multicoloribus & aulaeis splendidissimis, solemni plane ac maximo cum adparatu & pompa: quod feliciter contigit III. Kalendas Iunias huiusce anni CIↃ.IↃ.CC.LVI. immensa propemodum Procerum, ac Civium Florentinorum circumstante corona, frequentia maxima: quo quidem sancto ac faustissimo, de more, Dominico die, omnes summopere laetantes pro conlato divino munere, proque tua incolumitate vota Deo Optimo Maximo nuncuparunt. Par igitur erat, ut & ego, qui Tibi iamdudum sum dicatissimus, aliquo munusculo sacro amplissimae dignitati tuae ac sacratissimae gratularer, plauderemque, & tam ingens solemnis inaugurationis & consecrationis tuae decus omni laude prosequerer, ac posteris etiam declararem. Quum plurima in Te, PRAESVL OPTIME, fulgeant virtutum ac meritorum documenta, cum exquisita eruditione, & doctrina, ac Sanctorum scientia coniuncta, cuius egregia specimina iam dedisti, supervacaneum heic esse puto infinita propemodum Maiorum tuorum nobilissimorum decora & ornamenta, quae toto orbe clara, ac

per-

pervulgata ſunt; recenſere: nullum enim exitum inveniret oratio mea, ſi laudare vellem illuſtres illos Viros ac Proceres generoſiſſimae Gentis tuae, qui geſtis rebus domi foriſque, & belli & pacis inſigniis omnibus in Florentina Republica, ac ſub Gallico caelo, magna ubique nominis gloria & fama omnium maxima ac diuturna claruerunt; quum Te potiſſimum humili hac oblatione colendum ſuſceperim, qui fideliter, & diligenter ab ipſa adoleſcentia Deo dedicatus ſerviſti, primum in hac Metropolitana Baſilica Florentina; mox in Pontificia Aula honorum gradibus auctus: demum ad nos reverſus, Chriſtianae Religionis ac pietatis exemplis omnibus praeluxiſti, morum innocentia, animi devotione, ſolida quidem, non fucata, in egenos liberalitate ac beneficentia adſidua; adeoque luculentiſſima in dies ſemper dederis omnium ſanctarum virtutum exempla: a Chriſtianiſſimo quoque Galliarum Rege inſigni Abbatia decoratus; cuius ſplendori, & cultui non ſemel tuis ſumtibus conſuluiſti: Teque omnibus carum, amabilem, omnique veneratione digniſſimum reddidiſti. Te inquam, ANTISTES AMPLISSIME, animo complexus ſum; Tibique, quod iamdiu facere cupieram, hanc qualemcumque perpetui obſequii mei ſignificationem offerre quammaxime nunc geſtio, laetorque; ac Tibi pro ſuſcepti muneris amplitudine ac dignitate magnopere gratulor; enixiſque votis precor & obteſtor Deum bonorum omnium largitorem, ut Te diuturna felicitate incolumem ſervet, ut Patriam tuam, hanc Vrbem, quae nunc trium Archiepiſcoporum beato fulgore impletur atque ornatur, amicoſque & clientes tuos tuarum virtutum micanti luce iugiter ornes, recrees, ac ſuaviſſima voluptate perfundas.

PROLEGOMENA

DE CVLTV ET ORNAMENTIS

LIGNI SANCTAE CRVCIS

I. Quod triumphale, Myſteriis multis ac Sacramentis plenum SANCTAE CRVCIS LIGNVM in honore maximo ampliſſimoque toto terrarum orbe ſit, ac ſemper fuerit, atque in primoribus cum Orientis, tum Occidentis Eccleſiis ſolemnibus ſtatis diebus per anni circulum ſplendidiſſima pompa, ſumma fidelium devotione, & celebritate oſtendatur, exaltetur, ac peculiari

religionis cultu, accensis candelabris, trinaque adhibita turificatione adoretur, in supplicationibus deferatur, non aliunde tantum decus, sanctitatem, gloriam, dignitatem, pretium, sacramentorum quoque omnium virtutem, charismatum ac benedictionum caelestem copiam accepit, nisi ab ipso IESV CHRISTO, vero Deo & Homine, qui pro totius mundi salute in eo propter nimiam in nos caritatem suam passus, crucifixus, ac mortuus est; adeoque ipse veluti altare sanctissimum, in quo se aeterno Patri pro redemtione hominum omnium se obtulit hostiam puram, sanctam, & immaculatam, idem Sacerdos & victima erexit, thronumque in eo misericordiae ac liberalitatis suae constituit, contactuque divini corporis sui membrorumque vivificum ac salvificum fecit, ac sanctificavit, pretiosoque sanguine suo irrigavit, atque in aeternum, devicta morte, superato maligno hoste, tenebrarum principe, consecravit. Vnde igitur mors orta est, inde per Redemptorem nostrum amantissimum salus, vita, & resurrectio nostra manavit: & Diabolus, qui in ligno, deceptis primis parentibus, vicit, in hoc glorioso stipite victus est: quem sequuti sunt Iconoclastae, ac nunc quoque cum Dallaeo antesignano sequuntur Calvinistae, inimici Crucis Christi, qui eius gloriam ac virtutem futilibus argumentis infringere summa vafritie, irrito semper labore, conantur: contra quos inexpugnabili scuto cum doctrinarum, tum rationum, eximio edito opere, nuper acerrime insurrexit Praestantissimus Abbas Iohannes Chrysostomus TROMBELLIVS, quem adeat pius Lector.

II. Quod vero ipsum Crucis LIGNVM sanctissimum hominum iniquissimorum consilio, fraude, & astutia statim sepulto Domino sub terra occultatum obrutumque fuerit, ac nonnisi ineunte quarto saeculo divinitus revelatum, inventumque fuerit; id inscrutabili Dei iudicio, sapientissimaeque eius providentiae ac voluntati tribuendum videtur. Si enim & Iudaei & Pagani miracula, quae ab eo patrata sunt, praevidissent, vel in frusta facile concidissent, vel cremassent, aut omnino perdidissent. Huiusmodi decus & gloriam obtinuit Helena Augusta, Princeps sanctissima, Imperatoris Constantini mater, quae summa cura, studio ac sollicitudine Dominicam Crucem apud Hierosolymam investigari, & inveniri praecepit: quod feliciter, Deo volente, contigit, ut synchroni Scriptores testantur: de qua gloriosa inventione Lignique incorruptione, & in varias multiplices particulas postmodum facta distributione per omnes Christiani orbis Ecclesias, quum innumeri iidemque celeberrimi Scriptores disseruerint, in re tam clara diutius immorari supervacaneum mihi videtur.

III.

III. Auctores igitur maximae celebritatis, cultus, gloriae, & honotificentiae Sanctissimae CRVCIS Domini nostri IESV CHRISTI iidem optimi ac pientissimi Principes fuere. Vitale Lignum in tres partes eorum imperio divisum ferunt. Altera Hierosolymis adservata est; altera vero Romam delata in Basilica Sessoriana recondita est, sedente S. Silvestro Papa, sub quo coli coepit A. CHR. CCCXXVI. Venerabilis Baronius ad eumdem annum ostendit. Haec itaque leguntur in Libro Pontificali a Cl. Vignolio edito pag. 96. *Eodem tempore fecit Constantinus Augustus Basilicam in palatio Sessoriano, ubi de Ligno Sanctae Crucis Domini nostri IESV CHRISTI posuit, & auro & gemmis conclusit, atque Basilicam dedicari fecit, quae cognominatur usque in hodiernum diem Sancta Hierusalem. In quo loco ista dona obtulit: candelabra ante LIGNVM SANCTVM quae lucent, ex argento IIII. secundum numerum Evangeliorum, pensantia Lib. LXXX.* reliqua mox pretiosa donaria enumerat ac describit. Ex tertia aliisque portionibus maximis aliae minores, ex his item aliae partes minimae, ac particulae desumtae sunt, quibus toto orbe non omnes Ecclesiae, sed insigniores, ac praecipuae ornantur: quae quidem, variis etiam ab Episcopis adhibitis experimentis probatae sunt. Ex his alia minutissima segmenta prodiere, quae ab aliquibus Fidelibus, maxime vero ab Episcopis, summo cum honore gestantur.

IV. Eorumdem quoque sanctorum Principum exemplo laudabilis ea invaluit consuetudo recondendi Venerabile S. Crucis LIGNVM in Hierotheciis pretiosissimis, plerumque crystallis undique occlusum, vel in aureis vel in argenteis thecis reconditum, micantibus in circuitu innumeris cuiuscumque generis lapillis ac gemmis magnae aestimationis ac pretii; quae Hierothecia in altari sacrosancto exposita Fidelium adorationi proponuntur. Data hac opportunitate iterum heic adferre lubet Iconem eiusdem almifici LIGNI sanctissimae Crucis Dominicae, quae Florentiae mea etiam sub cura ac vigili custodia adservatur in Basilica Baptisterii S. Iohannis; quod plane licet valde altum non sit, latitudine tamen & crassitie, insignores permultas exsuperat vivificae Crucis toto Christiano orbe celeberrimas portiones, & facile tres alias Cruces, si secaretur, conficere posset valde spectabiles. Miror Leopoldum Migliorium de hoc Hierothecio nec verbum quidem fecisse, ubi alia huius Basilicae Lipsana enumerat. Illud praeterea peculiare ac praecipuum continet idem gloriosissimum Lignum, quod in eo anaglypho opere vetustissimo, levi quidem, nec valde prominenti, & quidem admodum rudi, sculptus cernitur Iesus Christus, corpore nudus, cum subligaculis tantum, clavis quatuor suffixus, & quod valde

no-

notatu dignum mihi visum est, mitrato capite; quo honore idem indicatur Pontifex, qualis celebratur a Beato Paulo Apostolo in Epistola ad Hebraeos Cap. IX. de qua Icone sacratissima prolixum Commentarium nuper exaravi, quod habes in volumine tertio mearum Symbolarum.

V. Hierothecia eburneis tabulis historiatis ornata vel aequum, vel etiam maius pretium ipso auro & argento apud veteres obtinuisse nemo ignorat; quapropter nil mirum, si propter eboris raritatem perpauca ad nostram aetatem pervenerint. Ea, quae multa adhibita diligentia invenire mihi contigit, heic proferuntur, & observationibus inlustrantur. Complura describit, & delineata exhibet V. C. Ziegelbaurus Monachus Casinensis, in suo opere, cui titulus *Crux Didactica*. Primus omnium, qui CRVCEM laudavit, & ad eius amorem nos inflammavit, ipse est Christus Dominus, qui eos suos veros discipulos esse dixit, qui crucem baiulantes, eum sequuntur: qui etiam *exaltationem* adpellavit crucifixionem suam, ut perhibet Iohannes, qui adstare eius Cruci cum Virgine Matre non erubuit, Cap. III. v. 13. *Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo: & sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita EXALTARI oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*. Capite vero VIII. ita turbas adloquitur idem Christus Dominus: *Quum EXALTAVERITIS Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & a me facio nihil; sed sicut docuit me Pater, haec loquor*. Quum autem venerit Servator noster in fine saeculorum, iudicaturus universum mundum, *tunc* (inquit Matthaeus Cap. XXIV. v. 30.) *apparebit SIGNVM Filii hominis in caelo:* significans CRVCEM suam admirabilem, in qua, ut sancta canit Ecclesia Catholica, *salutem humani generis constituit*: & totum mundum vocavit ac traxit in admirabile lumen suum, & in fide solidavit, ita inquiens apud Io. Cap. XII. 32. *Et ego si EXALTATVS fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Prophetico spiritu idem testatus est Praecursor Domini IOHANNES, qui tum Christi exaltationem in Cruce, tum capitis sui obtruncationem significans, dixit: *Illum oportet crescere, me autem minui*; & cum hostiam puram, sanctam, divinam in Cruce immolandam tunc ostendit omnibus, quum dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: quare in choro Sanctorum Cruci famulantium & ipse Iohannes, ut in Cortonensi monumento, & in aliis, saepe occurrit.

VI. PETRVS Iesu Christi Vicarius, spiritu Sancto plenus, in concione, quam habuit, primus omnium, sedente Christo Domino


ad

ad dexteram Patris, gloriam Crucis, & immensae eius caritatis beneficia Iudaeis luculenter patefecit, praesertim vero his verbis, ut in Act. Apost. Cap. II. v. 22. legitur: *Viri Israelitae, audite verba haec: IESUM NAZARENUM, virum adprobatum a Deo in vobis virtutibus, prodigiis, & signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc divino consilio & praescientia traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis &c.* & paullo post: *Hunc IESUM resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Dextra igitur Dei EXALTATUS, & promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.* In sequentibus quoque concionibus Cap. III. & IV. proposita ostensaque Christi maiestate, virtute, ac potentia, CRUCIS gloriam summis laudibus extollit. Non minori eloquentiae vi, & ardore PAULUS, ex persecutore & hoste Crucis Christi, maximus praeco divinitus factus, scandalum turpis patibuli evacuavit; dicens, scribensque ad Galatas Cap. VI. 14. *Mihi autem absit gloriari nisi in CRUCE Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo:* & ad Philippenses Cap. II. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem CRUCIS. Propter quod & Deus EXALTAVIT illum, & donavit illi Nomen, quod est super omne nomen: ut in Nomine IESU omne genuflectatur caelestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESUS CHRISTUS in gloria est Dei Patris.* Evidentissimum igitur est divinam hanc Servatoris nostri exaltationem, nomen, gloriam, in CRUCIS passione constituram fuisse; nam, ut ait ipse Dominus, *oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam:* &, ut canit Sancta Ecclesia ex Davidis prophetico oraculo: *dicite in nationibus, quia Dominus REGNAVIT A LIGNO. Nos autem gloriari oportet in CRUCE Domini nostri IESU CHRISTI in quo est salus, vita & resurrectio nostra; per quem salvati, & liberati sumus.* Maximi per totum orbem CRUCIS CHRISTI enarratores fuere reliqui Apostoli, Martyres, Confessores, & Episcopi; quare *Crucem suscipere* idem apud primitivos Fideles fuit ac sacro Baptismate ablui, & ungi.

VII. Suspicari hinc mihi liceat sacrum Cortonense Hierothecium non tantum eburneis historiatis tabulis, & carminibus ad exemplum quoque duorum insignium S. Crucis Hierotheciorum, quae in Thesauro Basilicae S. Marci Venetiis adservantur, quae vide apud C. V. Flaminium Cornelium Senatorem Decad. XIII. Par. I. pag 153. & 155. verum etiam in ambitu antiquitus coronide ex argento inaurato, forte etiam & gemmis distincta, ornatum fuisse. Sed illud in hisce sculpturis Cortonensis Templi plane singulare & in-

signe

ſigne mihi videtur, quod CHRISTVS DOMINVS exhibetur radiato in clypeo, nudo capite, ſine nimbo crucigero; cuius loco ipſum adorabile Lignum Crucis poſt caput eius & humeros adpoſitum cernitur: ut omnes intelligant, nullum eſſe maius decus & ornamentum divini capitis, ipſa Cruce, quam integram ipſe pignus aeternum ſui amoris Eccleſiae ſponſae ſuae reliquit. Quum vero hoc ipſum Cortonenſe Hierothecium Baſilicae omnium principi Sanctae Sophiae, hoc eſt divinae Sapientiae Chriſti Servatoris noſtri dedicatum, atque in eius Theſauro olim ſervatum fuerit, liceat hinc argumentum petere primigeniae traditionis, quod hac ipſa ſpecie Chriſtus cum Cruce ſua adparuerit CONSTANTINO MAGNO pugnanti adverſus Maxentium Tyrannum V. Kal. Novembris anno Chr. CCCXII. quem ipſe in plena meridie vidit, audivitque dicentem ſibi EN TOTTO NIKA: nec aliter etiam crediderim adparuiſſe Saulo, quem ex hoſte Doctorem gentium, & propagatorem gloriae ſui Nominis, & Crucis divinitus effecit. Exinde longe lateque almifici Ligni S. Crucis cultus crevit, indictiſque celebrioribus ſynaxibus adorari, oſtendi & exaltari ubique coepit. Praeter ornamenta gemmarum adceſſere laudes, hymni, elogia, & carmina, de quibus alibi diſſerui.



TABVLA I. & II.

HIEROTHECIVM EBVRNEVM CORTONENSE

IN QVO CONDITA PARTICVLA

LIGNI SANCTAE CRVCIS

EXHIBETVR ET INLVSTRATVR

I. NVllum, quod ſciam., in celebrioribus Etruriae, ac forſitan. Italiae noſtrae, Eccleſiis, exſtat monumentum antiquius, inſignius atque etiam praeclarius HIEROTHECIO CORTONENSI, quod duabus ex ebore ob vetuſtatem ſubflaveſcente pulcherrimis Tabulis decoratur; ut percommode,. quandocumque opus fuerit, aperiri, & claudi poſſit. Hae praeterea ornantur utrinque ſculpturis ſacris, anaglyptico Graeci artificis opere elaboratis ſaeculo X. quae in antica DOMINICAM CRVCEM; in ſegmentis vero atque in metopis Salvatoris noſtri, Angelorum ac Sanctorum imagines exhibent: in poſtica autem Graeca epigraphe, diſpoſitis nominibus, Crucem Domini efformat, quae eius praecipuum decus & encomium continet; in extremo vero margine, donatoris nomen & munera praenotantur, de quibus mox ſermo. Intra eaſdem Tabulas eburneas in Theca quadam adſervatur inſignis particula Vivifici LIGNI Sanctae Crucis Domini. FR. ELIAS COPPIVS, Civis Cortonenſis, vir magnificus, & ad maxima quaeque gerenda natus, Diſcipulus S. FRANCISCI, cui Moderator univerſi Ordinis ſucceſſit, quum Conſtantinopoli moraretur, pro munere ſacrum hoc Cimelium accepit ab Imperatore Iohanne Duca, quod antea Eccleſiae S. Sophiae magnum decus & ornamentum fuerat. Re confecta, geſtoque legationis munere, quod ei Fridericus Imperator demandaverat, Cortonam reverſus, civibus ſuis huiuſmodi inaeſtimabile donum dedit; quod repoſitum eſt in Franciſcanorum Templo, quod ipſe ſplendidiſſimum exſtruxit in eo ſolo praediiſque, quae a Magiſtratu urbis dono accepit, uti perhibent veteres Chartae ad annum CIↃ.CC.XLV. & ſequentem; quas adlatas video, dum haec ſcribo, in Collectaneis variae eruditionis, quae ſingulis menſibus Liburni in lucem proferuntur, in eiuſdem Eliae vita, quae Novembri ac Decembri menſibus anni CIↃ.IↃ.CC.LV. peraccurate edita eſt. Igitur ſummo civium gaudio, magna pompa

adparatuque, & frequentia in eo Templo, in quo ad hoc tempus servatur, reconditum est venerabile hoc Hierothecium, quod in tutelam suam spectatissimus ille sacrae Vnionis, ut aiunt, Magistratus Cortonensis, sibi ab Elia donatore commendatum suscepit: quod locatum est in mole quadam operosissima, quae, undique argenteis simulacris locupletata, sacrisque emblematis pariter argenteis nobilitata, adhuc conspicitur. Ea veteris Testamenti Historiam graphice, & eleganter exhibent; ipsum vero Hierothecium non semel per annum religiosissime, undique etiam confluentibus finitimis populis, colitur ac devotissime adoratur. Multa memorantur prodigia, quae in eiusdem LIGNI Sanctae Crucis ostensione contigere; & Altare ipsum, in quo tam venerabile pignus nostrae redemtionis repositum est, sacris largitionibus auctum memoratur a Leone X. Pontifice Maximo, qui ad illud invisendum se contulit, anno sui Pontificatus tertio, cuius exstat perhonorificum Privilegium.

II. Quamquam a multis doctissimis viris celebratum sit tam pretiosum CORTONENSE HIEROTHECIVM, de quo prae ceteris multa notatu digna memorat Franciscani Ordinis celeberrimus Historiographus Waddingus, Carolus Du-Cangius, Vghellius, Montefalconius; tamen summam laudem cum eruditionis, tum amoris in patriam adeptus est Vir Clarissimus Philippus DE VENVTIS, Patricius Cortonensis, qui omnibus monimentis & observationibus refertam edidit Dissertationem DE CRVCE CORTONENSI, Liburnensibus typis, anno CIƆ.IƆ.CC.LIV. statimac renuntiatus est Praepositus Ecclesiae Liburnensis, a qua sui sacri regiminis munia bene ac sapienter auspicatus est.

III. Perpauca igitur quum mihi dilucidanda post eius curas supersint, praecipua quaedam ex eius Dissertatione excerpam, ac referam; si quae vero erunt novis observationibus dilucidanda, iisdem adtexam. Duo vero sunt in hoc pereximio sacrae vetustatis monumento expendenda; nimirum Graeca epigraphe, & Imagines sacrae. Praetereo ea, quae iam adnotavi de CRVCE CORTONENSI in Vol. III. mearum Symbolarum, ubi *de mitrato Capite Iesu Christi Crucifixi*, deque Crucibus litteratis, historiatis, ac sacris imaginibus ornatis, luculenter disserui. Cortonensis Crucis Graeca inscriptio partim in media area posticae partis, partim in margine eiusdem eburneae Tabulae insculpta est litteris antiquis quadratis, & nonnullae voces siglis indicantur: quapropter nunc adcuratius a me adfertur cum Latina huiusmodi interpretatione:

Καὶ

Καὶ ΠΡΙΝ ΚΡΑΤΑΙΩ ΔΕϹΠΟΤΗ ΚΩΝϹΤΑΝΤΙΝΩ
ΧριϛὸϹ ΔΕΔΩΚΕ ϹταυΡΟΝ ΕΙς ϹΩΤΗΡΙΑΝ
Καὶ ΝΤΝ ΔΕ ΤΟΤΤΟΝ ΕΝ ΘεΩ ΝΙΚΗΦΟΡΟϹ
ΑΝΑΞ ΤΡΟΠΟΥΤΑΙ ΦΤΛΑ ΒΑΡΒΑΡΩΝ ΕΧΩΝ.

✠ Ο ΤΗϹ ΜΕΓάλης ΕΚΚΛΗϹΙΑϹ ΘΕΟΤ ϹΟΦΙΑϹ
ϹΚΕΤΟΦΤΛΑΞ ϹΤΕΦΑΝΟϹ ΤΗ ΤΡΕΨΑΜΕΝΗ
ΜΟΝΗ ΕΤΗΤΗϹ ΠΡΟϹΦΕΡΕΙ ✠

Latine aeeuratius redditi hi verſus haec ſignificant:

Primum & forti Domino Conſtantino
Chriſtus dedit Crucem in ſalutem:
Et nunc Nicephorus in Deo
Rex eam habens evertit Barbarorum copias.

✠ *Magnae Eccleſiae Dei Sophiae*
Seevophylax Stephanus nutritori
Monaſterio lubens (hanc) offert. ✠

IV. Ex his intelligimus, ptimum hanc Sacroſancti Ligni Dominicae Crucis particulam fuiſſe penes Nicephorum Impetatorem; qui, quum ea armatus ad bellum eontra infideles hoſtes gerendum profectus eſſet, ae pietatis devotioniſque cauſa eollo forte ſuſpenſam gereret, divino Crueis auxilio fultus, ae praeſidio munitus, de Barbarorum exereitu, quem fudit, inſignem victoriam reportavit; quam eidem refetendam eſſe cenſuit. Eandem Crueem, quum mox obtinuiſſet Stephanus, Templi CP. S. Sophiae Monachus, munere Scevophylax, eidem Templo, multorum beneficiorum, ae praeſertim aeeeptae in eodem Monaſterio educationis memor, dono lubens eidem obtulit, ac dicavit. Hunc Stephanum crediderim partieulam illam Sanctae Crueis hiſce eburneis Tabulis ornandam, ſacriſque Imaginibus condecorandam euraſſe; & hanc ipſam epigraphen, ut in iiſdem incideretur, ptopoſuiſſe: quod, ut coniieiam, non tantum ſuadet ſacrorum donariorum & anathematum uſitata formula, quam ipſe adhibet εὐνόως προσφέρει, *lubens offert*; ſed etiam imago S. Stephani Levitae Protomartyris, quam a dextris eonlocavit S. Iohannis Baptiſtae Praecurſoris Domini; eo quod ipſum glotioſiſſimum Eccleſiae Dei Miniſtrum, & in agone ipſo Athletam inviĉtiſſimum, tanquam praeeipuum patronum & defenſotem vitae ſuae, inſtitutique motum ſuorum multo pietatis ae devotionis obſequio eoleret; adeoque in eius tutela eſſet; euius nomen adſumſerat vel in Baptiſma-

 te,

te, vel in Monaſtici habitus profeſſione, ex Monaſticis legibus de more ſolemniter ad Altare Dei facta, ac rite ſuſcepta.

V. Sapienter a Stephano Theſauri, & Sanctarum Reliquiarum magnae Eccleſiae S. Sophiae Vrbis CP. Cimeliarcha & Cuſtode factum eſt, ut inſignior pars tituli ſuae dedicationis & oblationis ab inſigniore Inſcriptionis parte, quae eſt Hiſtorica & Encomiaſtica, exordium duceret; cuius verba ſimul collecta Crucem Domini, quae intus eburneis Tabulis contecta eſt, effotmarent ac repraeſentarent. Nomen vero ſuum, eximium munus, inſtitutum, & cauſam huiuſce ſuae ſacrae oblationis lubenti animo eidem Eccleſiae ſactae, cui deſetviebat, humilitatis gratiâ, in extimo poſticae Tabulae eburneae limbo circumſcribi voluit; & quidem more veterum Chriſtianorum tum in ſepulchris, tum in donariis uſurpato, ſignum in principio & in fine Sanctae Crucis inſculpendum curavit; quamvis ea primo loco legenda videatur. Primum ne dubitandi occaſio oriatur, dum adfirmat reconditum almificum Sanctae Crucis Lignum, verum ſincerumque eſſe, memorat caeleſtem illam ſigni Sanctae Crucis epiphaniam Conſtantino Magno factam in pleno meridie, ante pugnam illam tota Chriſtiana Hiſtoria celeberrimam, quam Euſebius auctor ſynchronus deſcribit; quum idem Imperator *inſtinctu divinitatis*, arma in Maxentium Tyrannum ferens, Romanam Rempublicam iuſtis armis ultus eſt, ſeptimo ab Vrbe lapide anno CHR. CCCXII. Conſtantino III. & Licinio III. Coss. V. Calendas Novembres. Obſervat idem Cl. Venutus, quam recte in noſtra Inſcriptione dicatur, *Chriſtum Conſtantino dediſſe Crucem in ſalutem:* „ ſive hoc referre velimus ad ſupra enarratam Crucis epiphaniam, quam τῶν Σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον vocat Euſebius, „ & Σωτήριον Σταυρὸν Damaſcenus, & Synodus Trullana ζωοποιοῦ „ Σταυροῦ σωτήριον; ſive ad Crucis ipſumet Lignum ſuo ſaeculo, „ uti ferunt, detectum; cuius partem ab Helena matre acceptam, „ quum adverſus Licinium copias duceret, in tabernaculo extra „ caſtra illi conſtituto, religioſiſſime cuſtodiebat, ut auctor eſt Eu„ ſebius de Vita Conſtantini Lib. II. Cap. 14. & Lib. IV. Cap. „ 56. quem & Socrates ſequitur. „ Cum Hiſtoria conſonat Crucis Dominicae elogium conſociatum; ut intelligamus, quam magna & mirabilis ſit eius virtus, ac potentia; in qua potiſſimum gloriri debemus: quod in ea propter Ieſu Chriſti paſſionem, mortem ac merita, fuſumque pro redemptione noſtra ſanguinem ſuum, ut ait Apoſtolus Paulus, ſit ſalus, vita, & reſutrectio noſtra, per quem ſalvati & liberati ſumus.

VI. Vti in more positum erat, eo ipso quo idem Stephanus Monachus vivebat aevo, apud Orientis Imperatores, Constantinus Magnus Δεσπότα, hoc est *Dominus* dicitur, κατὰ πρόληψιν, propriis amplioris honorificentiae titulis omissis, vel silentio pressis. In Tabella Regii Codicis apud Bandurii Antiquitates CP. depictus est Constantinus una cum Helena matre sua, utrique Crucem eandem manu amplexantes, additis Graecis notis: ὁ Ἅγιος καὶ Εὐσεβὴς Κωνσταντῖνος ὁ Βασιλεύς: ἡ Ἁγία Ἑλένη ἡ μήτηρ αὐτοῦ. *Sanctus & Pius Constantinus Imperator. Sancta Helene mater eius*. Egregie eius sanctitatem tuetur, & iniustas calumnias in eum inlatas refellit V. C. P. Franciscus Antonius Zacharia S. I. in sua eruditissima Dissertatione de Inventione Sanctae Crucis, qua Volumen IX. meatum Symbolarum ornatur.

VII. Prodigiotum effectricem fuisse particulam hanc Sanctae Crucis, quam summa cum religione, cultu, ac pietate servant Cortonenses, memorat insuper adlata Graeca eius epigraphe; nam testatur idem Stephanus, aetate sua Nicephorum (qui ab eo honoris causa, propria dignitatis adpellatione, ut metri leges servet, Ἄναξ dicitur, videlicet *Rex*) eius ope ac praesidio ἐν Θεῷ, *in Deo*, evertisse Barbarorum copias, adeoque de hostibus insignes victorias retulisse. Sed in hoc solitario nomine expresso, magna oboritur difficultas, quae haud facili negotio superari potest. Siquidem, ut observat egregius Praepositus Venutus „ plures huius nominis Imperatores fuere.
„ NICEPHORVS ille primus, avaritia & crudelitate infamis, Ico-
„ noclasticae, & Maneticae sectae fautor, & fortassis etiam adse-
„ cla, totiens a Saracenis, Bulgaris, Francisque bello superatus,
„ ad nostram Inscriptionem nullo modo potest pertinere. Bello Bul-
„ garico petiit ad diem XXVI. Iulii A. C. DCCCXI. Alter
„ NICEPHORVS, Phocas cognominatus est, qui imperium
„ adsumsit circiter annum CMLXIII. Tertius NICEPHORVS,
„ BOTANEATES dictus, Turcarum ope principatum obtinuit
„ sub annum MLXXVIII. Inter hos postremos duos, de pos-
„ sessione Crucis nostrae lis suboriri posset. Nonnullae rationes,
„ ut Nicephoro Phocae adtribuam, animum impellunt. Hic
„ nempe Imperatot, vir domi forisque clarissimus, late de Sa-
„ racenis in Asia, Cilicia, Syriaque victor exstitit, plurimaque
„ ab iis oppida recuperavit. Hic triumphator Constantinopolim
„ rediens, insigni Christianae pietatis exemplo Cruces omnes a Bar-
„ baris recuperatas Templo obtulit, ac de hostium manubiis deci-
„ mam Deo persolvit, uti auctor est Curopalata. Eiusdem numisma
„ ab Iacobo Strada adfertur, ex altera pagina imaginem Crucis

„ ha-

„ habens, quatuor insistentem gradibus, cum Inscriptione, VICTO„ RIA AVG. II. „ Hanc victoriam designari ab adlata Graecarum huiusmodi Tabularum Cortonensium Inscriptione ante Venutum ipsum adfirmare non dubitavi in praecitato mearum Symbolarum volumine; adeoque ad Nicephorum ipsum Phocam, qui Saracenos debellavit, hanc Sanctae Crucis particulam pertinuisse in alia parva theca inclusam, quam idem Imperator adversus hostes, tanquam salutare praesidium scutumque inexpugnabile in praelio collo forsitan suspensam gerere consuevit. Multa enim suadent haud convenire nec adsignari posse tam augustum ac divinum Phylacterium Nicephoro Botaniatae; quum gesta ab eo adversus Barbaros bella non memorentur, nec relatae tanti nominis & celebritatis victoriae: qui praeterea principatum, quod Turcarum ope obtinuit anno MLXXVIII. intra triennium infelicissime amisit.

VIII. Huiusmodi adorabilem Sanctae Crucis portionem, quum obtinuisset Stephanus Monachus, eam ornandam curavit Tabulis hisce diptychis eburneis cum imagine eiusdem S. Crucis, Salvatoris Domini, Angelorum Sanctorumque, & dono obtulit Monasterio, memor susceptorum beneficiorum, quae a puero in eo educatus receperat, uti memorat in iisdem ab eo sculpta Inscriptio: de cuius sinceritate ac veritate testimonium protulit disertissimum, eiusque virtutem & admirandam potestatem ad hostes evertendos clarissimis exemplis Constantini Magni, & Nicephori (Phocae ut creditur) ostendit. Porro inscriptionem hanc ante annum Aerae Christianae millesimum insculptam Ducangius protulit in *Familiis Bizantinis*, ubi de Nicephoro Phoca loquitur pag. 150. edit. Paris. sed multis mendis deformatam; cuius singula verba ad archetypi fidem delineata expendit, & accurate multis observationibus dilucidat praelaudatus inlustris Praepositus Venutus, quem adeat Lector, si plura cupit.

Byzantiny

IX. Explanata sacri huiusce maxime insignis votivi donarii Graeca inscriptione, ad sex orbiculos, seu clypeolos, & quidem radiatos, qui sacras protomas continent, pro honorificentiore cultu sanctae Crucis, loco gemmarum ac lapillorum pretiosorum, quibus frequenter Dominica Crux exornatur, & ad integras quatuor Sanctorum Imagines adfabre sculptas, quarum nomina Graece adscripta sunt, nunc gradum facio. Digniorem locum in medio, in ipso Crucis vertice, occupat protoma IESV CHRISTI Redemptoris nostri, qui dextra benedicit; sinistra vero Evangelicae suae Legis & Gratiae Codicem ornatissimum, Cruce in medio insignem, tenet: quod vero notatu dignum, eius caput non nimbo, uti fre-

frequenter solet, sed integro Sanctae suae Crucis Ligno, quod in eo regnum suum, gloria, honor, potestas, imperium ac misericordia in humanum genus consistat, post ipsum caput, & humeros decoratur. Sub utroque Crucis brachio siglis illis salutaribus IC.XC. venerandum IESU CHRISTI nomen adnotatum est, quod est super omne nomen. Promulgatores ac defensores Divinitatis & Humanitatis Christi Domini, quasi eius voluntati & imperio famulantes, adiunguntur sublimiores Angeli; a dextris MIKAHA. nempe *Michaël*; a sinistris vero ΓΑΒΡΙΗΑ. h. e. *Gabriel*, quorum humeris expansae alae adiectae sunt, ut eorum prompta semper & parata Deo obedientia ostendatur, qua faciunt verbum eius. Amicti decoris vestibus regale sceptrum dextrâ gerunt; sinistram vero manum aperiunt, quasi magnum pietatis opus admirentur; nimirum quod mors mortua tunc est, quando in Ligno mortua vita fuit, uti sancta plaudit Ecclesia. Sub infimo ipso Crucis admirandae segmento tres alii clypei radiati, sive orbiculi spectantur, qui continent Imagines maximorum cultorum Sanctae Crucis, qui eidem veluti thronum efformare videntur; ut, monente D. Augustino in Psal. LIV. hinc etiam adtendas gloriam Crucis ipsius: *Iam*, inquit, *in fronte Regum Crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem: domuit orbem non ferro, sed ligno*. In medio sculptus Constantinus Magnus, ornato capite corona gemmata, dextra sceptrum crucigerum gerit, adiecta epigraphe Ὁ Ἅγιος ΚωΝCTANTINOC. *Sanctus Constantinus*; a dextris Mater eius Helena dextram manum pectori suo admovens, decorata est alia corona, sed valde pretiosa, & augusta, cum titulo Η ΑΓΙΑ ΕΛΕΝΗ. *Sancta Helena*: a sinistris vero Longinus cum epigraphe Ὁ Ἅγιος ΛΟΝΓΙΝΟC. *Sanctus Longinus*; qui nudo capite, cum parva cruce in dextra, sinistram manum adtollit, ut stupendum miraculum suae conversionis ad Christum testetur. Subiicit post haec amicissimus Praepositus Liburnensis Ecclesiae Venutus encomia, quae tum a Scriptoribus, tum in antiquis monumentis Constantino & Helenae tribuuntur, ad quae observanda Lectorem meum mitto. De S. Longino, quem alii esse censent militem illum (alii Dysmam adpellant) qui lancea Christi demortui latus aperuit, e quo exivit sanguis & aqua, multa profert Cl. Marangonius in eius vita, quem, si cupis, vide.

X. Nunc supersunt quatuor Sanctorum imagines, quae tum in superioribus S. Crucis areis, tum etiam in inferioribus sculptae cernuntur. Primum, dignitate in loco, quae redemptioni humani generis adeo cooperata est Beata Virgo MARIA, Domini Dei no-

nostri Mater, sculpta occurrit a dextris Crucis; cuius vestes & capitis amictus, qui nam fuerit, perspicue & hinc liquet. Sublimissima eius dignitas siglis illis, in numis etiam Graecorum Imperatorum obviis, declaratur, M̄-P̄ Θ̄Ȳ. *Mater Dei*. Secundus locus a sinistris post Dei Matrem tribuitur Sanctissimo Christi Domini Praecursori IOHANNI BAPTISTAE; cuius nomen litteris, una post aliam sculptis (qui mos & apud Latinos vetustioribus quidem saeculis inolevit, uti Basilicarum Romae, Ravennae, & Florentini Baptisterii musivi operis picturae testantur) declaratur; nempe primum A intra O inclusa, quibus siglis Ὁ Ἅγιος *Sanctus* indicatur ΙΩ̄ Ο ΠΡΟΔΡΟΜΟϹ. *Sanctus Iohannes Praecursor*. Quod superius etiam pag. 97. adnotabam, divinus Iohannes Praecursor Iesu Christi, honoris & dignitatis causâ, Sacerdotalibus indumentis a Graecis repraesentatur, quod ex sacerdotali genere ortus fuerit.

XI. Sub brachiis eiusdem S. Crucis duae sanctorum Imagines repraesentantur. A dextris, colobio ac pallio amictus, stat *Sanctus Stephanus*, e numero Diaconorum Apostolici aevi primus; cuius nomen indicat adposita epigraphe Ὁ Ἅγιος ϹΤΕΦΑΝΟϹ; pedibus vero caligatis adstat; non vero nudis, ut in adlato Toreumate sacro Musei Riccardiani, quod superius editum habes Tab. XV. pag. 115. Heic quoque attonsi spectantur eius capilli, uti apud Graecos Sanctorum capita saepe exhibentur. E regione a sinistris expressa est imago S. Iohannis Apostoli & Evangelistae, iuvenili quidem specie, qualis tunc erat, quum stetit sub Cruce Christi morientis una cum Maria Virgine eius moestissima matre. Ante pectus tenet Evangelii sui Codicem, ornatissimo quodam intectum operimento, adscripto eius nomine & praeglorioso sui muneris titulo, Ὁ Ἅγιος ΙΩ̄ Ο ΘΕΟΛΟΓΟϹ. *Sanctus Iohannes Theologus*: sed titulus eius divini officii ac muneris non in alia post ipsum parte, uti S. Stephani nomen, sed iuxta ipsum adorabile Sanctae Crucis signum sculptum bene ac sapienter est. *Hic* nempe est *Discipulus ille, qui testimonium perhibuit; & scimus quia verum est testimonium eius*: qui etiam, narrata Domini sui passione, crucifixione & morte, haec subdit: *Et qui vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis*. Igitur optime ac convenienter hae Sanctorum Imagines ante Crucem Dominicam, non solum tanquam Patroni ac defensores donatoris Stephani Monachi, sed etiam quasi testes adstant; quia & Mater Domini, & S. Iohannes Baptista, S. quoque Iohannes Apostolus & Evangelista non solum Humanitatis Christi Domini, sed etiam eius Divinitatis testes & re, & visu effectuque fuere.

TA-

T A B V L A III.

HIEROTHECIVM EX ARGENTO INAVRATO
LIGNI SANCTAE CRVCIS
QVOD IN ECCLESIA MONASTERII CAMALD.
S. MICHAELIS DE MVRIANO VENETIARVM
ADSERVATVR

NONNVLLIS CVM OBSERVATIONIBVS DESCRIBITVR

I. QVamquam inſigne hoc ΣΤΑΥΡΟΘΗΚΙΟΝ MVRIANENSE, docti homines iam tertium ante oculos ſuos comparere viderint ; primum quidem in Opuſculis Calogerianis Tom. XXIX. Italico ſermone a Praeſtantiſſimo P. D. Anſelmo Coſtadonio Veneto, eiuſdem Monaſterii tunc Bibliothecario, nunc Priore meritiſſimo, exquiſitiſſima eruditione inluſtratum ; iterumque etiam mox cum aliis doctis eiuſdem Auctoris adceſſionibus, Latino ſermone expoſitum, mei Symbolarum Voluminis III. eo humaniſſime permittente, decus eximium ac praecipuum eſſe conſpexerint ; demum prolatum quoque viderint ab Ampliſſimo Viro Flaminio Cornelio, Senatore Veneto, in inſigni eius Opere de Eccleſiis Venetis, in Part. III. & ultima, initio, ubi diſſerit de Monaſterio S. Michaëlis Archangeli de Muriano, praetermiſſis iiſdem Coſtadonianis Obſervationibus, ſed depromtis tantum vetuſtis compluribus monumentis ad illud ſpectantibus ; tamen & quartum in lucem nunc prodire volui, ne tam praeclarum decus & venerabile monumentum ſacrae vetuſtatis in hoc meo ampliſſimo Diptychorum Theſauro, deſideraretur. Paucis me expedire poſſem, ſi lectores ad ea memorata volumina legenda amandare vellem ; verum operae pretium eſſe cenſui, nonnulla, quae praecipua ac notatione digna ſunt, ex iiſdem delibare, quae propius ad rem pertinere videntur.

σταυροθήκιον

II. Icon haec LIGNI S. CRVCIS oblata eſt Monaſterio Murianenſi non longe poſt eius aedificationis primordia, quae anno CIↃ.CC.XII. contigit. Hiſtoriam huiuſce oblationis, ſeu tranſlationis idem V. C. Coſtadonius adfert, & criticis animadverſionibus expendit, erutam ex autographo vetuſti Codicis Bibliothecae Monaſterii

S. Mariae Angelorum Florentiae; quam etiam iterum profert praelaudatus Senator Cornelius. Mirificam tam pretiosi ac venerandi Pignoris oblationem, seu potius translationem, ut Chronicon testatur, Domnus Franciscus eiusdem Monasterij Abbas, non solum inscriptione, quae id memorat, testatus est; verum etiam Sacellum & Altare, in quo reconditum est, aedificandum curavit anno CIↃ.CCC.LXII. Theca ex argento inaurato, quae Lignum S. Crucis claudit, sacris imaginibus ornata est, quae saeculum XI. vetustate praecedit. Iconis eius ectypon, quod heic exhibetur, ferme quartam partem verae eius magnitudinis repraesentat; minorem in hunc modulum redacta, ut paginarum huius voluminis commodo aptius inserviret; nam eius longitudo est unciarum Veneti pedis decem, cum dimidia; latitudo vero XVI. cum dimidia, & crassitudo II. Apsidem Orientalis nucis lamina aurata cooperit; verum laminae pars, quae marginem, sive coronidem efformat, ex cupro deaurato est; altera vero pars, quae aream vestit, ex argento itidem inaurato esse dignoscitur; & quidem dubio procul Graecanicum esse opus, ac plane pervetustum tum Imagines, tum quadrati characteres ostendunt. Graecis medii & inferioris aevi mos fuit huiusmodi auratas Iconas exstruere, & in ipsis Lignum Sanctae Crucis inserere; quod multis exemplis probat idem Costadonius. Addo etiam hisce sculpturis sacris non solum pretium venerandorum Pignorum ostendere voluisse Orientalis Ecclesiae veteres Patres; sed etiam probare ea esse autentica, sincera, ac legitima, quibus haec signa ac testimonia adposuere, ne de earum veritate dubium oritur. Id mihi etiam ex multis sacris Lipsanis Baptisterii Florentini sedulo observanti constat, praesertim ex Indice Digito dextrae Manus S. Iohannis Praecursoris Domini, qui insertus est in aurea theca in ima parte, tamquam anulo seu circulo, duobus Iambis Graecis scripta; atque ex lamella aurea Brachii S. Philippi Apostoli, quae ibidem anaglyptico opere sculpta cernitur, cum eius nomine adscripto Graecis litteris; cuius sacri Pignoris Translationem narrat Historicus noster Iohannes Villanius, & alii Scriptores. Nec silebo, quandoquidem heic opportune incidit sermo, aliud Florentini Baptisterii, cui divina miseratione deservio, S. Mercurii Martyris insigne Λίψανον, nempe cranii summi capitis partem, argentea theca inclusam, in cuius postica, nempe argentea lamella, sanctissimi Martyris nomen scriptum est litteris antiquis Graecis hinc inde in angulis iuxta Crucem Dominicam; superne vero ansula imminet cum collari argenteo, quae adpensum collo sacrum pignus delatum esse ostendit: cuius schema, quum anno CIↃ.IↃ.CC.XXX. curante Clarissimo Eq. Francisco Victorio, delineatum dedissem docto Victorio Giovardio Cle-

rico

rico Verulano, is edidit aere incisum pag. XV. sui Operis, eodem anno Romae editi, quod inscripsit: *Acta Passionis, & Translationis Sanctorum Martyrum Mercurii, ac XII. Fratrum*. Altera inscriptio Graeca docet a Michaële Graecorum Imperatore pietatis causa delatam fuisse. In hoc vero Murianensi Hierothecio, ea quae recondita est insignis vivificae Crucis portio, tanta mole praecellit, ut nullum ex Venetis Sanctuariis (si Ducale excipias Templum) maiorem se possidere glorietur, cuius magnitudinem mox indicabo.

III. Age nunc singula describamus huius augusti Cimelii ornamenta, ac praecipue ea, quae multis observationibus digna sunt. Primum locum in medio obtinet Sanctae Crucis imago, quae in angulis supernarum & imarum partium cum in quadratis segmentis, tum in orbiculis, tribus Angelorum, & Beatae Mariae Virginis icunculis condecoratur. Spectantur etiam duae Archangelorum expansis alis protomae, hinc inde iuxa verticem S. Crucis; qui ex manuum gestu magnum divinae misericordiae & humanae redemtionis opus admirari, & celebrare videntur. Crux ipsa gemina est, duplicique coronamento, ac veluti quibusdam in singulis angulis margaritis, ornata adparet. Duo Sanctae Crucis cultores maximi, a dextris Constantinus Imperator, a sinistris eius parens Helena sculpti sunt, amicti pretiosissimis vestibus, ornato capite tum nimbo, tum regali diademate. His adpicta sunt eorum nomina, Graecis litteris expressa, Ὁ Ἅγιος ΚωΝCΤΑΝΤΙΝΟS. *Sanctus Constantinus*: Η ΑΓΙΑ ΕΛΕΝΗ. *Sancta Helena*. Huic opificio coëva videtur coronis pulcherrima, qua totum sacrum anaglyphum ambit. Quatuor in ea clypeoli quatuor angulos ornant, quibus sculpta Sanctorum Evangelistarum symbolica Animalia: primum quidem superne Aquila S. Iohanni tributa; Leo S. Marco; infra vero Hominis facies S. Matthaeo, Vitulus S. Lucae. Quemadmodum in sacris Codicibus vetustissimis vario ordine Evangelia scripta occurrunt; ita etiam in eburneis hisce & argenteis monumentis anaglypho opere sculptis non uno eodemque constanti ordine, sed vario ac promiscuo, haec Evangelistarum Hieroglyphica spectantur. Reliqui tum in superna, & ima parte, & in utroque latere dispositi clypeoli Angelorum Christo famulantium imagines pectore tenus repraesentant, eosque capite ornato caelesti nimbo, qui dextra sceptrum, sinistra globum gerunt, interiectis quibusdam phrygionicis parergis. *Sancti* adpellatio primis Ecclesiae saeculis minime invaluit; sed saeculo quincto aliqua exstant exempla, qua postmodum medio aevo decorati sunt etiam CP. Imperatores, ac praesertim Alexius & Emmanuel Comneni. Verum apud Ethnicos ipsi Caesares, crescente elogiorum

iuxta

luxu ac libidine, & feminae quidem, & coniuges in sepulcralibus titulis *sancti*, *sanctae*, & *sanctissimae* frequenter vocitantur. Sed Ecclesia Orientalis Constantinum Magnum, & Helenam non solum tamquam *Sanctos* habuit & coluit, eorumque nomina in sacris Diptychis, in Kalendariis, ac in vetustis istis S. Crucis Hierothecis scripsit, quod de ea, deque Christianae Fidei propagatione ac defensione optime meriti essent; sed & notis praecipuis divinae apotheoseos, sanctitatisque ornamentis ac titulis ornanda censuit: secus vero Ecclesia Occidentalis Latina, quae solam Helenam in Martyrologio ac Fastis suis *sanctam* vocat; celebratque eius festum XV. Kal. Septembres, eademque occasione laudat Costantinum Imperatorem eius filium, quem *piissimum* adpellat.

IV. Praecipuum iuxta DOMINICAM CRUCEM, ac plane spectabiliorem locum, obtinent Constantini Magni a dextris, & Helenae eius matris a sinistris imagines; quorum nimbum, capitis coronas, margaritis, aliisque pretiosis lapillis ornatissimas, itemque vestes operosissimas, omni cultus splendore ac magnificentia praenobiles, Cl. Costadonius egregie ac luculenter inlustrat. Nimbus divini luminis gloriam designat; diademata vero Cruce in medio nobilitata non sunt; quamquam secuti Imperatores, ut in eorum numis videre est, capitis regales coronas & galeas ea ornare consueverint. Vestes eorum auroclavatae multis gemmis & margaritis nobilitatae explendescunt. Consularis dignitatis insignia praeferunt manu tum Constantinus tum Helena, nempe volumen sive mappam, quam *acaciam* dixere; quae propter maiorum, parentum virorumque merita etiam Feminae Consulares consequebantur; cuius usus usque etiam ad Palaeologos duravit. Multa de Angelorum cultu ornatuque, sceptris, globisque iisdem traditis heic dicenda essent; sed ad alia ex ebore monumenta inferius adferenda haec servamus.

V. Nunc vero silentio minime praetereundum, licet ex hoc S. CRUCIS LIGNO duo notabiliora segmenta alio translata fuerint, quod ea portio eiusdem Salvifici Ligni, quae in hoc Hierothecio recondita est, longitudine sua aequat uncias fere octo; latitudine vero seu crassitie quasi unciam unam. Porro dividitur cum supra tum nonnihil infra in duas transversas portiones; quarum superior circa verticem longitudine aequat quatuor uncias, inferior vero quinque cum dimidia. De Cruce gemina ibidem luculenter etiam differit idem Costadonius, quem consulere oportet. Sanctorum Evangelistarum imagines symbolicis Animalibus, uti superius vi-

vidimus, non ad ornatum tantum venerandae Crucis Christi Domini in omnibus antiquis monumentis spectantur; atque ad pompam triumphi Dominici, & maximae de suis hostibus omnibus victoriae gloriosissimae, in qua exaltatus omnia ad se ipsum traxit; verum etiam ad Christianorum fidem augendam tuendamque; quum ipsi unanimi consensu, fide, & veritate Christi veri Dei ac veri Hominis gesta scripserint, testati, ac fuso etiam sanguine confessi sint, per totum orbem depraedicato eius Evangelio. Angeli vero Christo Domino Triumphatori invictissimo, qui mortem nostram moriendo destruxit, & resurgendo vitam reparavit, famulantur: qui Petro, quum ipse a turbis captus esset, & auriculam servo Malcho ab eo amputatam restitueret, dixit, Matth. Cap. XVI. v. 52. & 53. *Converte gladium tuum in locum suum. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Praeterea iidem Angeli de hominum salute gaudentes, ea etiam de causa cum Cruce Dominica sociantur; quia & Crucem, & Angelos Constantino Imperatori pugnanti adparuisse memorant Scriptores, qui ei dixere ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ: IN HOC VINCE: quare & iuxta Crucis imaginem superius adlatam pag. 121. eandem adclamationem Christo Regi Propugnatori factam sculptamque adnotavimus.

VI. Nonnulla in hac Icone ex argento ornamenta cernuntur, quae in ectypo haud exhibenda censuit Cl. Costadonius, utpote longe sequioris aevi, nulliusque aut parvi momenti. Ea facile, ut adnotat Cap. IX: superaddita fuere occasione, qua elapso saeculo Marcus Zeno, Torcellanus Episcopus, curante Abbate Monasterii Murianensis D. Iacobo Bertellio Vtinensi, novis crystallis S. CRUCEM exornavit. Exstat haec in Scheda membranacea subtus laminam argenteam, in quam Crux terminat: *R. P. D. Marcus Zeno, Torcelli Episcop. A. R. P. Iacopo Bertelli Abbate, hoc Crucis Lignum crystallina, qua ornatur theca, sua in Deum & SS. Crucis pietate aperiri curavit anno S. MDCXXXV. prid. id. Sept. praesentibus R. D. Luca Montini Cappellano dicti Illustrissimi, & Canonico..... R. P. D. Michaële Angelo* (Superantio) *Veneto, D. Vitali Patavino, D. Hyacintho Vtinensi, & D. Petro Veneto, Monachis huius Monasterii.* Demum huic eximiae Tabulae eam ipsam aetatem adsignat Cap. XI. qua vixit Basilius Porphyrogenneta, cuius doctas animadversiones vide.

TA-

TABVLA IV.

THECA DIPTYCHA EBVRNEA LVCENSIS

ORNATA

DOMINICA CRVCE

non est eques

EX MVSEO C. V. EQVITIS FLORENTINII

ADFERTVR ET EXPLICATVR

I. NOn raro illud verum esse comperi, quod docti homines, quo magis eruditione ceteris praestant, eo magis etiam humanitate erga omnes singulari abundant. Bernardinus BARONIVS I. C. Lucensis, vir nobilitate & exquisita eruditione in rebus cum sacris, tum profanis ad patriam Historiam pertinentibus ornatissimus, pervetusti huius sacri Cimelii schema non solum a se delineatum, verum etiam, me rogante, ectypon ipsum gypseum, ex archetypo desumtum, eximio humanitatis exemplo misit statimac ei innotuit ex meo edito Prodromo nuntio, me editurum Thesaurum Diptychorum antiquorum Consularium, aliorumque huius generis, sacrorum & profanorum. Munus hoc mihi gratissimum ab eo, una cum officiosis litteris accepi anno CIↃ.IↃ.CC.XLIII. Id ubi rescivit Cl. Sebastianus Donatus, Presbyter Lucensis, patriae honori consulens, primus omnium de sacris Lucensibus antiquitatibus optime mereri volens, hanc ipsam eburneam Tabulam, una cum Diptycho Areobindi Consulis, protulit in edito opere suo, vernaculo sermone conscripto, *De Diptychis antiquorum profanis & sacris*, typis Lucensibus, anno CIↃ.IↃ.CC.LIII. Lib. III. Cap. II. pag. 188. Hoc ipsum praeclarum monumentum, quod aere incidendum curavit, luculentis observationibus inlustravit; quo humanissime favente, eandem Tabulam nunc profero. Qui plura cupit eum consulat: agit enim de Cruce gemmis ornata, ac de Stationali, de nimbo ac tiara Pontificia, de coronis, ac lemniscis, multaque eruditione, ex philologicis promtuariis congesta, Lucense illud sacrum eburneum monumentum dilucidat. Perpauca mihi adnotanda supersunt; ea vero de quibus disseram, praecipua, & maximi momenti sunt. Primum tota difficultas in huiusce eburneae sacrae Tabulae usu disquirendo consistit; altera vero in eo sita est, ut saltem ve-

ve-

verosimillimis rationibus statuatur cui nam tribuenda sit ea imago, quae in orbiculo seu clypeolo illo in medio Crucis sculpta spectatur. Ab hac primum exordium sumam; mox de eius sacro usu, forsitan in Lucensi Metropolitana Ecclesia, dissseram, quae avidius cupiebam ut luculenter a Lucensi Interprete expenderentur.

II. Fatetur ipse haerere sibi aquam in ea imagine sacra non solum explicanda, sed & declaranda adsignandaque; quapropter misso schemate se consuluisse memorat Ill. March. Scipionem Maffeium, qui datis ad eum litteris, cuius particulam adfert, ingenue fatetur se nescire, cui nam tribuenda sit. Autumat Maffeius forsitan in eo orbiculo imaginem repraesentari S. Gregorii Pontificis, aut alterius Sancti Ecclesiae Hierarchae, & facile etiam aliquem Episcopum Lucensem; sed, ut omnes intelligunt Antistiti, huic Pontificia tiara aptari & convenire nequit, quamvis exstarent monumenta, quae probarent ab eo Cathedralem Lucensem Basilicam exstructam, ac dedicatam fuisse, cui hoc ipsum venerandum Cimelium dono dederit. Autumat etiam forsitan in eo Crucis orbiculo sculptam imaginem alicuius Sancti, qui tanquam eius Ecclesiae Patronus, & Defensor colebatur. Fuit enim Ecclesiarum laudabilis ea consuetudo in Cruce Dominica Sanctorum tutelarium imagines exhibere, itemque Episcoporum eo ordine, quo ipsi sibi invicem succedentes sederunt, atque illis Ecclesiis praefuere. Id perspicue docet Crux, quae Ravennae exstat, cuius iconem adfert Ciampinius Veter. Monum. Part. II. Cap. VI. Tab. XIV. num. I. ac servatur in Metropolitana Ecclesia; cuius aequa altitudo & latitudo ad sex palmos se extendit, in qua argenteis quadriginta orbiculis, anaglyptico opere elaboratis, protomae Ravennatum Episcoporum repraesentantur; idque, licet hae imagines parvae sint, ex pallio, quo ipsi Antistites decorantur, argui perspicue potest. Sed hae observationes, licet exemplis pervetustis sincerisque nitantur, pro tuenda hac opinione, quae ad hanc relata absurda videtur, haud valde militat. Nam Lucensis Crux multis ornata gemmis, quae in hac eburnea Tabula sculpta est, nec S. Gregorium, nec Patronum aliquem, nec Episcopum Lucensis Ecclesiae donatorem LIGNI S. CRVCIS exhibere constanter adfirmo. Maffeianis hisce coniecturis propositis, eruditionis, & laboris studiosissimus Donatus, a vero non longe aberrare putat, si quis existimet ea imagine praenotari divinum Redemptorem, haud quidem ea specie qua in Cruce passus est, sed potius specie Triumphantis, ac Sacerdotis summi, seu Regis etiam aeternae gloriae; cuius caput corona gemmata, ea de causa rutilat ac decoratur: quam opinionem,

etsi

etsi primo adspectu consentanea videri possit; tamen ad veritatem dilucidius adstruendam, perlubet pensiculatius nunc expendere, relicto doctis viris hac in re non parvi momenti selectiore & severiore calculo.

III. Primum igitur aio, quod protoma ipsa in medio Crucis in eo orbiculo, seu clypeolo sculpta, Salvatorem minime exprimere potest, sive Triumphatorem, sive Pontificem Maximum, sive etiam Regem. Siquidem in omnibus monumentis tum Occidentalis, tum Orientalis Ecclesiae, quoties imago vel integra, vel dimidiata Christi Iesu seu picta, seu ebore, aut aere sculpta proponitur, caput eius non puro ac simplici nimbo, circulove glorioso, ut in hoc ectypo, sed nimbo crucigero semper ornatur; quod ornamenti genus servatur etiam in numis Imperatorum novae Vrbis CPlitanae, qui ad eorum Christianam fidem & pietatem testandam, ex altera parte Christi imagine decorantur; quapropter iam a saeculo quarto speciosus ille, iisdemque acceptissimus titulus τοῦ Φιλοχρίστου, *Dei amantis*, usurpari coepit. Etsi enim in eburneis Tabulis Hierothecii Cortonensis spectetur protoma Christi Redemptoris nudo capite, sine nimbo; Crux tamen post illud & eius humeros ita sculpta est, ut indicet nullum esse maius, augustius, & insignius ornamentum eius capitis & divinissimae eius Humanitatis, quam ipsum Crucis suae adorabile lignum, in quo idem amantissimus Dominus pro humani generis salute se obtulit aeterno Patri hostiam puram & immaculatam, Sacerdos idem & Victima. Nec obstat quod in vertice tiarae, quam ea protoma gestat, parva Crux, tanquam decus & ornamentum erecta, & imposita adpareat. Eam enim in numis aliisque sacris monumentis praeferunt in capitis coronamento ac diademate CPlitani Imperatores, atque etiam non raro, ut mox ostendam, Augustae Feminae. Illud insuper adnotandum, quod imago Christi Domini recto integroque corporis habitu, non vero aliquantulum sinistrorsum inclinato & obverso, ut in hac Lucensi icone manifeste adparet, constanter exhibetur tum in priscis monimentis Ecclesiae Sanctae Latinae, uti videre est in singulis emblematis, ac praesertim in picturis musivo opere elaboratis, atque etiam in plurimis Orientalis Ecclesiae Graece, quae superius a me adlata sunt, imaginibus sacris. Duo insuper alia valde eius opinioni obstant, nimirum manuum gestus, & vestium cultus; forma etiam ac multa ex unionibus ac margaritis iisdem adiuncta ornamenta. Quoties in vetustis sacris utriusque Ecclesiae monumentis CHRISTVS DOMINVS; vel uti summus Sacerdos, vel uti Rex pacificus, mortis

Graecae

&

& inferni Triumphator exhibetur, dextra benedicens ſemper exprimitur; ſiniſtra vero Librum Pacis, & Vitae aeternae, nimirum Evangelii ſui, ipſum caeleſtis doctrinae ſuae archetypum, quod a quatuor divino ſpiritu adflatis Evangeliſtis ſcriptum Eccleſiae ſuo ſanguine fundatae aeternum teſtamentum ſuae voluntatis, & pignus immenſi ſui in nos amoris ſcriptum reliquit, ſemper tenet, eiuſque genu innixum conſpicitur, vel ante pectus ſuum admotum geſtat; e quo tanquam fonte divina myſteria, iam abſcondita a conſtitutione mundi, nobis revelata, ac patefacta ſunt. Heic vero Lucenſis Icon dexteram pectori admovet, ſiniſtramque adtollit, precantium, ſeu divinam opem implorantium, more. Huiuſmodi igitur geſtus Chriſto Servatori noſtro, nec ut Regi, nec ut Triumphatori, nec etiam uti Summo Sacerdoti, convenire poſſe, ut opinor, nemo erit, qui inficiari audeat. Supereſt nunc veſtis, & mitra.

IV. Age nunc de veſtium cultu, ac de capitis ornamento, quod Interpres Donatus mitram eſſe putat, diſſeramus. Veſtis regia eſt, omnino muliebris, forte chlamys, ſeu βίτρυς, utrinque tribus clavis ornata, qui longo margaritarum ordine ac ſerie nobilitantur. Limbi chlamydis ante pectus decuſſatim excurrunt, unuſque alteri ſuperinductus conſpicitur. Ad haec interior tunica, ſeu palla ante pectus aliquantulum adparet, cuius manicae circa manus adſtrictae ſpectantur. Regium illud gemmis ornatum indumentum, quod humeros & pectus cooperit, latioribus manicis ſimul contextum eſt, quae circa extremas oras unionum lineis ornantur. Hiud igitur huiuſmodi paludamentum dici poteſt pluviale ſacrum, quo Antiſtites & Sacerdotes in ſacris utuntur; quale hodie, & antiquis temporibus in uſu fuit in ſolemnioribus Eccleſiarum feſtis, & pompis: proindeque valde differt a ſacro pluviali, ſeu Pontificali illo amictu valde ſpecioſo, quo in antiquis Eccleſiarum monumentis, & muſivis picturis, praeſertim Theutonici veteres Opifices Chriſtum Regem in caelis in throno ſedentem repraeſentarunt, uti ſuperius indicatis exemplis oſtendi. Plurimae pretioſae, ac maxime etiam ſolemniores, & auguſtiores veſtes Imperatorum Graecorum, atque Coniugum ipſorum, deſcribuntur in Cerimoniali Aulae Byzantinae, quae de more frequenter mutabantur iuxta pomparum, quae fieri ſolebant, conſuetudines; quae quidem variis nominibus adpellabantur. Multa, ut paucis conferam, haec veſtis peculiaris formae minime Chriſto Domino ſive Regi, ſive Triumphatori, ſive Sacerdoti ſummo, haud convenire poſſe perſpicuum eſſe arbitror. De nimbo, qui pariter in extremo circulo gemmis & unionibus continuis coruſcat, nihil dico; qui etiam quum purus

 ac

ac simplex sit, nec Cruce decorus, valde ab antiquis omnibus monumentorum exemplis recedit, nec Christo Domino convenire potest, cuius insigne semper est ipsa Crux.

V. Superest nunc capitis ornamentum, quod Donatus tiaram Pontificiam esse censet, ac praeterea ex ea utrinque pendere infulas adfirmat. Sed ea profecto Pontificalis mitra haud esse potest, quae in summo vertice aliquando Dominica Cruce ornari solebat, ut ostendi in Vol. III. mearum Symbolarum, in Dissertatione *De mitrato Iesu Christi Crucifixi Capite*, ubi Cap. X. §. III. in adiecta Tabula plurima mitrarum sacrarum schemata ex antiquis monumentis protuli, quae variis transactis saeculis in usu fuere. Ast in Lucensi eburnea Icone immensus propemodum cernitur margaritarum numerus, quibus duo exteriores circuli, & alter post extremitatem mitrae frontem ambiens, stipantur. Crucicula vero in superiore mitrae circulo in medio, non vero in summo eiusdem mitrae apice, locata cernitur: quae omnia quantum recedant a consuetudine illa ornandi Caput Christi Domini, & a forma recepta in Pontificum sacris mitris, meridiana luce clarius patere existimo.

VI. Pervolventi mihi pervetusta tum numorum, tum etiam maxime sculptorum, ac pictorum operum, quae in Basilicis exstant, monumenta, occurrit adsimilis mitrae, seu coronae exemplum in veteri pictura ex musivo opere, quae Ravennae conspicitur in Aede S. Vitalis: quam sacram picturam parietis Sacelli maximi publica luce donarunt Hieronymus Rubeus in Histor. Ravenn. Lib. III. p. 152. & p. 897. Nicolaus Alemannius, & Du-Cangius in Familiis Augustis Byzantinis pag. 97. Procedit Maximianus, Ravennatis Ecclesiae Episcopus, Crucem ferens una cum sacris Ministris, qui dona praeferunt dedicanda, eumque comitatur Iustinianus Imperator, sequentibus Proceribus nobilissimis, ac primis Palatii, Scutifero, & Armigeris. Hos, ex aula procedens, praeire videtur magna cum pompa Theodora Augusta, multis feminis eam comitantibus, aliisque praecedentibus, quae sacram aedem ingredi videntur, e qua velum pendet; & in limine quadratae columellae impositum vas, ut reor, lustralis aquae, cernitur: ni tamen illud ostium cum velis pendentibus ad ipsam potius aulam regiam declarandam pertineat, & vas illud adpositum, argenteum designet salientium aquarum, e quo manabant aquae odoriferae; quod luculenter describit, & confirmat, praelaudatum Cerimoniale Aulae Byzantinae. Theodora Augusta huic Lucensi eburneo monumento longe simillimam capite praefert mitram; quae veteris tutuli specie acuminata est, sectumque

plus-

plusquam dimidia parte ovum refert[1], tribus unionum lineis, & utrinque ex his, non infulis ac vittis, sed solutis margaritis pendentibus simul confertis ornata. Mitrae augustae, seu coronae vertici imminet flos, ut puto, aureus, veluti patulis foliis, non vero cruce decorus, uti cernitur in eius Diptycho superius a me prolato Vol. II. pag. 272. atque etiam in numis. Si otium esset, nec tot anxiis curis premerer, alia proferre possem exempla; sed hoc in praesentiarum sufficiat, ut evincam, hoc ipsum coronae regium decus, sive mitram, sive diadema, sive coronam vocites, minime convenire posse Christo Domino, aut Regi, aut Sacerdoti summo, quum nec etiam cum vestium cultu concordet. Vultus quoque lineamenta feminam exprimunt, cuius genae praepinguiusculae sunt; adeoque nec Christo Domino, qui interdum florida iuventa decorus exhibetur, ut eius Divinitas adstruatur, quod nullis temporum vicissitudinibus obnoxia sit, ac mutetur, exprimendo aptissima hoc aevo censeri potest.

VII. Quum igitur perspicuum videatur & vultum, & muliebrem omnem mundum potius convenire augustae feminae, quam Christo Servatori nostro, nunc disquirendum, quae nam sit haec augusta Femina. Eam esse credam Sanctam HELENAM, piissimi Constantini Augusti matrem, quae in Dominica Cruce insigniorem locum habere meruit, quod eius studio, favore, pietate ac liberalitate Christianus orbis, ipsum verum, ac divinum SANCTAE CRVCIS LIGNVM acceperit; in qua pro nobis passus est ac mortuus IESVS CHRISTVS; in qua nos omnes gloriari oportet, per quem salvati & liberati sumus. Eius cura, solicitudine, ac dilatandae Christianae Religionis zelo, alia veneranda ac pretiosissima dona accepimus, nempe Iesu Christi vestem, titulum Crucis, super caput eius impositum, & clavos, quibus Iudaei eius manus & pedes foderunt; adeoque de honore & gloria cultuque horum sacratissimorum Christi Domini Pignorum, quibus ditatus est Christianus orbis, & Ecclesiae plurimae explendescunt, ipsa optime merita est, omnique commendatione, & memoria dignissima. Opifex, qui ebur hoc sculpsit, minime quidem natione Graecus, sed Italus, ut speciosiorem eius imaginem redderet, immensarum margaritarum thesauro vestes oneravit; nimbum quoque multis gemmis sive lapillis, seu mavis unionibus, circumstipavit, & defluentes utrinque infulas, ut capillos occultaret, adiecit; quum earum loco, exemplo Theodorae Augustae, aliarumque Principum feminarum, pendentes margaritarum lineas effingere posset. Interim §. LXVIII. Dissertationis doctissimae Du-Fresnianae heic integer recensendus esset, quo

mea sive coniectura, sive opinio, uberrime convalidatur, ac valde probabilis evadit; in qua ipse, ex antiquis numis in honorem Flaviae Helenae Augustae, de qua heic sermo est, percussis, quos ordine enumerat ac describit, quam similis sit huic imagini ornatus, ut ita dicam, turritus eius capitis, in modum protensae cassidis, cum limbulis refertis unionum lineis, manifeste adparet: sed quia eadem Dissertatio Romae studiosorum commodo perutiliter recusa penes omnes nunc est, eam adeant sacrae vetustatis cultores, qui plura cupiunt. Si Cl. Donato, doctisque viris haec mea opinio probatur, satis mihi est; sin minus, ipsi veritati propiora suppeditent, & exponant.

VIII. Dum haec interim a typographo meo exeduntur, peropportune eximium munus accipio a Viro Doctissimo Io. Conrado STIGLIZIO, amico meo humanissimo, Volumen nempe secundum continens Librum II. *de Cerimoniis Aulae Byzantinae*, Lipsiae editum anno CIↃ.IↃ.CC.LIV. quod quum statim, licet incompactum, avide evolvo, statim in Commentariis tum Celeberrimi REISCKII, tum amicissimi viri LEICHII pag. 14. D. 10. ad v. Στέμματα, egregie observata oculis occurrunt, quae de regali femineo hoc capitis ornamento opinionem meam valde confirmant. Vocabulum illud Στέμματα venire putat eximius Interpres, praeeunte

ἀπὸ

Salmasio in Chronicon Alexandrinum, ἀπὸ τοῦ σλέφειν, ab ambiendo; quia totum caput velut cassis amplectebatur, adeoque a corona differre adfirmat. „ Στέμμα vero, inquit, a galea ortum, erat cusa, cum circulis aureis, uno rotundo totum caput horizontaliter includente, & duobus sese ad rectos angulos secantibus semicircularibus, & superimposita vertici plerumque Cruce; cetera panno constans pretioso, gemmis & margaritis obsito. „ Adfert praeterea descriptionem mundi imperialis Annae Comnenae, cuius diadema hemisphaericum fuisse memoratur, ac multis margaritis pretiosis refertum. Infulas quoque, uti ex hoc Lucensi eburneo toreumate adparet, eidem diademati circa aures pependisse cernimus, quae purpureae plerumque erant, & margaritis dispositis distinctae; quas, quum in usu fuisse dicat apud Principes CPtanos saeculo septimo, quos enumerat, his etiam praesertim in pompis ornatas fuisse Imperatrices CPtanas nullus dubito. Hinc opinari aliqua cum ratione possumus Lucense hoc sacrum anaglyphum opus, forsitan saeculo decimo, vel saltem proximiori, referendum esse. Haud enim obscurum penitus, & improbabile videtur, opificem in hac Imperatricis effigie repraesentanda, mentem oculosque defixisse in eas Principum feminarum imagines, quas praesertim in aliis antiquio-

tiquioribus operibus, ac maxime in numis, prae manibus omnium, cum hisce ornamentis capitis, ac vestium cultu decoras conspexerat; quae exempla sequi maluit.

IX. Vnica tantum me moratur, ac scrupulum aliquem iniicit difficultas, quod S. HELENAE imagini non bene conveniat insignior ille locus in Cruce ipsa Domini, quae in medio eius orbiculo sculpta conspicitur. Sed considerandum est, quod haec Crucis Domini imago tantum est; at in adorabili Cruce, ex ipso vero salvifico Ligno excisa, in quo salus mundi pependit, & sanguine suo sacravit, quod in Florentino Baptisterio adservatur, solus Christus Dominus anaglypho parum tamen exstanti opere sculptus mitrato capite, quatuor clavis adfixus est; quia eius imago una cum ipso vero Crucis Ligno peculiari cultu adoratur. Praeterea S. HELENAE imago ita sculpta est, ut Fideles discant eius exemplo Christum amare, & colere, devotas ad eum preces fundere, & vota facere, ut ab hostis maligni incursibus liberentur: quae sanctissima Femina eam ob rem manuum gestu docet, divinam opem in Crucis adoratione toto corde implorandam atque expetendam esse. Nec vero dicendum est hunc peculiarem locum eidem Sanctissimae Feminae haud convenienter tributum esse; quum constet exemplo superius descriptae Crucis Basilicae Ravennatis, in ipsa, veluti Diptychon esset, sculptas exhiberi protomas XL. Episcoporum eiusdem Ravennatis Ecclesiae. Quemadmodum enim in aliis Crucibus, quarum iconas adfert idem Ciampinius Tab. X. XI. XII. & XIII. multa Fidelium pietati proponuntur sacra Emblemata, & Historiae ex Veteri ac Novo Testamento desumtae, quae immensum divini amoris Iesu Christi in nos beneficium testantur, eiusque passionis, & mortis figuras in ipso impletas ad veritatem evidenter declarant; ita etiam ut in hac Crucis Christi sacerrima sculptura pretium, victoria, triumphus, itemque eius inventionis, & exaltationis veritas patentius exprimeretur, Helenae Sanctissimae ad Crucem ipsam a se inventam orantis imago praecipuo in loco, ac digniore conlocandam esse, convenientissimum visum est. Quoniam vero Constantinus ipse eius filius Crucis imaginem, & thecas aureas & argenteas, in quibus reconderetur salvificum Lignum gemmis ornari voluit; idcirco eius exemplo Cruces gemmis ornatae iam ab eius inventione in usu apud veteres Christianos fuere, & in Ecclesiis ad adorationem propositae sunt, ut deleretur infamis patibuli memoria, quae Iudaeis scandalum, Gentibus vero stultitia videbatur. Sed quid pluribus Lectores moror? quum eburneae Tabulae S. Crucis tum Cortonensis, tum Murianensis Monasterii, superius

ad-

adlatae, praeferant imagines Constantini, & Helenae, itemque Longini militis, qui lancea pectus Iesu aperuit. Sed superius corrige, p. 135 quae curis distractus de Disma dixi: quo nomine fuit non miles ille hastifer, sed bonus latro, qui postmodum Discipuli Christi evasere, & Sanctorum gloriam obtinuere. Haec exempla perspicue evincunt bene ac sapienter ab Ecclesiae Patribus protomam S. Helenae in Dominicae Crucis imagine repositam fuisse, ad excitandam Fidelium devotionem, pietatem, & cultum in adoratione Salvifici Ligni Christi Domini.

X. Sed in re tam clara, quae nullis difficultatibus obnoxia est, diutius mihi laborandum non erat, quum adferre possem & exempla & observationes doctissimas amici mei optimi Paulli Mariae PACIAVDII, qui in praeclaro suo Opere Antiquitatum Christianarum &c. Differt. IV. Cap. VIII. de STATIONALI CRVCE differens, a se observatam Crucem in Scevophylacio maioris Basilicae Ravennatis describit, adnotatque in adversa parte repraesentari Antistitem paenula magna indutum, cum pallio antiquo & mitra, cui additum antiquum lemma est, SANCTVS APOLLINARIS. In Liberiana Basilica Crux describitur a Paullo de Angelis in Litaniis portata, cuius alteram partem ornat imago Virginis Mariae. Melitenses Cruces Historiatas ibidem quoque describit, & illam in qua Christo Cruci adfixo adstant hinc Mater, illinc Evangelista Iohannes, &, ad pedes lugens, dilectissima B. Maria Magdalene, cum epigraphe Iesu addita: FRVCTVS REDEMTIO NOSTRA. Deiparae vero, FLOS REDEMPTIONIS. In postica huius Crucis parte orbiculus est cum Agni immaculati imagine. Alterius etiam Crucis descriptionem adiicit, in cuius adversa facie imago exstat S. Pantaleonis Martyris. Pro huius Dissertationis meae coronide in fine heic adferendum censui schema argenteae Crucis Melitensis, ex Oriente advectae, qua Equestris Ordo Hierosolymitanus frequentissime ab ipsa origine in sacris supplicationibus utitur „ Adstat „ (inquit) in conspectu S. IOHANNES, indutus pro more suo „ saetoso & rudi colobio, cute tenus iniecto, & palliolatus. Extremas Crucis oras excipiunt tabellae polygonae, in quibus usitatissima Evangelistarum symbola apto ordine caelata visuntur; „ Angelus, Leo, Bos, Aquila, suo unicuique apposito libro, ut „ facilius contuentium animus ad sacros Scriptores cogitando devolvatur. „ Hae Sanctorum Imagines in ipsa Dominica Cruce sculpta ea de causa videntur, quia vel testes fuere Divinitatis & Humanitatis IESV CHRISTI fuere, eamque fuso sanguine Martyres confessi sunt, vel humani generis redemtioni & verbis, & scri-


ſcriptis, & operibus pro re ſua praeſto fuerunt; adeoque eidem obſequio, ac precibus pro nobis, famulantur, & honoris & gloriae cauſa conſociantur. Tantarum laudum particeps fieri meruit & HELENA ſanctiſſima Femina, cuius ſtudio, & cura inventum ſalutis noſtrae Pignus aeternum, toto nunc Chriſtiano orbe contra diabolum, & contra inimicos Crucis, eique faventes malignos hoſtes, a recta noſtra fide ſeiunctos, ſemper coruſcat, ac triumphat.

XI. De uſu huiuſce ſacri Cimelii, de quo omnino ſiluit Cl. Donatus, nonnulla nunc obſervanda, & eruditorum iudicio ſubiicienda videntur. Superius propoſitam difficultatem minui, ac penitus evaneſcere video, quum contemplor hanc diptycham Tabulam, non anticam, ſed poſticam fuiſſe: quod clare oſtendunt tres cardinum reliquiae, ſeu fragmenta, quae in ſiniſtra parte adhuc ſupereſſe viſuntur. Hi docent alteram ſociam partem anticam eburneam antiquitus exſtitiſſe; quae porro tabulae integram diptycham Thecam efficiebant, ſive conditorium, in quo credibile admodum videtur repoſitam fuiſſe particulam aliquam veri LIGNI S. CRVCIS. Latentem theſaurum declarabant ſacra haec emblemata, nec non in exterioribus faciebus ſculpta anaglypho opere Crux Dominica, quadratis gemmis ac lapillis ornata; quae imago erat intus reconditae particulae verae Crucis, atque in pretioſis lamellis incluſae. In antica vero facie, huic adſimili, quae deperdita eſt, minime a vero alienum credere puto, ſculptam fuiſſe in mediano orbiculo imaginem ipſam Chriſti Domini Redemptoris. En igitur, quae adferri poſſit, veroſimilior, ut reor, opinio de uſu huius Tabulae eburneae; nempe venerabile olim fuiſſe, dum integrum erat, Hierothecium almifici LIGNI S. CRVCIS; & illud quidem quadratum, cui poſtes eburneae utrinque adhaerebant cardinulis innexae, ut totum claudi, & aperiri poſſet: totumque ex ſolido argento inaurato una cum exteriori coronide fuiſſe: interiorem vero ornatum efformaſſe eburneos poſtes arcuatos; a quibus deſumta exempla, quae ad hoc tempus durant in noſtris Eccleſiis, aedicularum, in quibus SS. Euchariſtiae Sacramentum adſervatur, & *ciboria* dicuntur. Vſum hunc ut adſtruerem, exemplum mihi ſuppeditavit S. CRVX Cortonenſis, quae intra duas Tabulas eburneas adhuc clauſa ſervatur; quas ſacri Miniſtri, quando opus fuerit, aperire poſſunt, ut ſtatis oſtenſionibus ſolemnibus omnes Fideles in eam pios oculos, & corda defigant.

XII. Hinc primum, quum ſuperne Tabulam hanc arcuatam, inferius vero quadratam conſpicerem, putabam oſtiolum fuiſſe arculae ma-

maioris, in qua Crux Dominica, & Sanctorum veneranda Pignora claudi solebant: de quibus ostiolis sacris, quae inter donaria, & vasa Ecclesiarum, ex ebore, & argento, recensentur in Du-Cangiano Glossario, non pauca adnotaveram, & multa suppeditari videram a praeclaro opere de Liturgia Summi Pontificis, quo aliisque eruditis lucubrationibus aeternam nominis celebritatem sibi comparavit Praestantissimus Praesul Dominicus Giorgius. Sed haec adferenda erunt, quum de Hierotheciis ostiolo munitis ad sacra Lipsana claudenda, cuiusmodi ex his unum apud me exstat valde commendabile & insigne, sermo instituetur. Quum autem, nisi intus Tabulae eburneae excavatae essent, vel loculus in his caelatus, ut Sanctae Crucis particula recondi posset, probe viderem haud facili negotio sibi invicem adhaerere potuisse; ratus sum aliquando easdem Tabulas in ambitu argentea inaurata coronide circumornatas fuisse, ut molem efficerent speciosiorem, & augustiorem.

CRVCIS CORTONENSIS PARS ANTERIOR TAB. XVIII. p.




VOL. III.

Tabula Anaglypha ex ebore huius magnitudinis


Fabbrucci ... delin.

Paris Brunet Sculp. 1739.

CRVCIS CORTONENSIS PARS POSTERIOR



Ant. Vercell. per. III. pag.



Tau. v. pag. 188.



In Museo Franciscimariæ Florentini Patricii Lucensis